



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Vita P. Caroli Spinolæ Societatis Iesv, Pro Christiana Religione In Iaponia Mortvi**

**Spinola, Fabio Ambrogio**

**Antverpiæ, 1630**

Cap. XIV. Asperitas carceris.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-46233](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-46233)

## CAPVT XIV.

*Asperitas carceris.*

TAM graues fuere dolores, quibus fortis hic Athleta quadrienni ferè spatio in custodiâ est conflictatus, vt P. Ioannes Baptista Porro (cui omnia fuere certissimò explorata) litteris, quas è Iaponiâ Mediolanum scripsit Calend. Febr. anno 1623. ad quemdam è Societate Patrem, super Caroli viui Sociorumque incendio (dum longos carceris cruciatus comparat cum immani tormento mortis igne lento illatâ) non dubitet illos etiam huic supplicio antepone: concedat licet, hoc mortis genus, acerbissimum habere doloris sensum, qui quidem tolerari possit. Vt igitur in lucem extraham dura illa incommoditatum tormenta, tolerata ab illustribus illis Athletis, *inter tenebras quondam pressurarum carcerumque umbras* (quibus verbis in pari argumento vtitur Venerabilis Beda) adumbrabo hoc Capite diurnæ custodiæ modum, exponamque minutatim cuncta quæ ad eum spectant; si tamen in cruciatibus, qui pro Christo feruntur, particularis aliqua res, minuta aut parua, & non potiùs augusta ac magna appellanda sit. Carcer igitur, in quo primùm cum sodalibus Carolus egit, tugurium

rium fuit, stramine malignè tectum, quadraginta palmos longum, latumque palmos viginti, impositum colliculo, qui virentibus perpetuò arboribus confitus erat. Is collis aspectu quidem amœnus, sed tribus à partibus mari cinctus, omni iniuriæ tempestatum obijciebatur. Tugurium duplici cingebatur sepe, quæ simul, quâ parte aditus erat, casâs aliquot includebat, quibus vigiles locantur, qui gnauissimè excubant, ne quis aut ad confitenda peccata, aut ad litteras apportandas, aut ad inferendos cibos, custodiæ propinquet. Permissum id temporis captiuus (qui omnino seni deni erant) è tugurio exspatiari intra septa. Sed quia tugurium seu vetustate, seu tempestatibus labefactum ruinam minabatur, decreuère satellites, nouum eodem loco instaurare. Quas ob res 21. Iulij 1619. captiui omnes nauigio impositi, in pagum (quem Cubaram vocant) Omuræ ex aduerso propinquum, ducti sunt. Huc deuecti, exiguæ casæ, quam stramen tegebat, includuntur ad octonos denos dies, quo nempe interuallo nouus carcer parabatur. Haud leuia fuere dierum illorum incommoda, cum propter loci angustias, quo sex & decem viri includebantur, tum propter solis flagrantiam, quæ per fenestram vnicam, quâ parte non spirabat ventus, nullâ auræ temperie frangebatur,

acce-

accedente grauitate odoris, vnde nauſea con-  
 tinuò exiſtebat. Augebat has aſperitates te-  
 nuitas victus, cùm excubitorum accuratiſſi-  
 ma vigilantia nihil inferri annonæ pateretur.  
 Hinc omniũ tentata valetudo alui profluuie,  
 quæ Carolum exhauſit, & verò non paucos,  
 ſi duraffet, erat abreptura. Ipſe, quantumuis  
 extenuatus viribus, animo tamen geſtiebat,  
 vt litteris ad P. Mutium Vitelleſcum Præpo-  
 ſitum Generalem ſcriptis 18. Febr. in hanc  
 ſententiam indijcauit: *Latè hilarèsque viuēba-*  
*mus, & ſolito etiam ampliùs indulgebamus*  
*cantandis Pſalmis, DEOq; agebamus perpetuò*  
*gratias, quòd dignos nos feciſſet qui amore ſui*  
*pateremur.* Ad 7. Auguſti, vt iſdem ſignifi-  
 cat litteris, in nouum ergaſtulum fuère redu-  
 cti, quod cùm antea longè altero fore incom-  
 modius intellexiſſent, habuère ſcilicet mate-  
 riam augendorum meritorum, animiq; ad  
 duriora comparandi. Vt venère in conſpe-  
 ctum carceris, illo ſe ſacri Vatis carmine inci-  
 tarunt: *Letatus ſum in his que dicta ſunt mihi,*  
*in domum Domini ibimus.* & Carolus quidem  
 ad milites, *Gaudeo* inquebat, *vehementer, tam*  
*angulis me custodia latebris includi propter*  
*Domini mei amorem, cùm ſperem, eò me laxiore*  
*loco fruiturum in celo, quò arctiorem hinc naclus*  
*fuero in terris. veſtri certè magna me tangit*  
*miferatio, qui DEO exoſi (vtcumque libertatem*  
 H *veſtram*

*vestram aestimetis) tandem in tartarum compacti, eternis excarnificabimini cruciatibus; qui numquam finientur, numquam minuentur.* His dictis, genua flexit in ipso custodiae limine, moxque ingrediens, illud Psalmicum Sodalibus canere coepit: *Hæc requies mea in seculum seculi, hic habitabo, quoniam elegi eam.* Desiderans nimirum non educi viuis, nisi forte ad sancendam Religionem vel cruce vel rogo. Latus hic erat carcer palmos sexdecim, longus quatuor & viginti. Contextus auariæ instar cortis, palis distantibus intercapedine duorum digitorum; tegulis tectus, stratus trabibus, quibus tabulæ crassæ pro pavimento erant affixæ. Fores ferâ cludebantur, erantque adeo angustæ, vt vix transitum darent corpori humano. A latere patebat fenestella, magnitudine lancis, quâ cibum captiuis satellites quotidie inferebant. Circuibat carcerem via lata octonos palmos, atque hanc duplex obibat seps, depacta ex arboribus dentis, longisque, & in cuspidem acuminatis, quas spinæ supernè induebant. Vnico aditu, haud procul foribus carceris, seps patebat sub prandium aut cœnam. Erant præter eâ duabus in partibus ædificatæ domus, vna pro statione vigilum, qui diu noctuque excubabant; altera in vsum Decurionis, qui crebro circitores iubebat circuitionis munere fungi.

Reli-

Reliquum denique loci includebatur septo benè munito, in quo princeps porta, & via quâ ad sepi interioris ianuam adibatur, quæ geminis claudi cancellis consueuerat. Lineamenta carceris ad calcem Operis huius subiecta spectabuntur. Huiusmodi igitur, vti diximus, fuit nouæ custodiæ facies, in quâ tot annis illustris hic pugil vixit, è quâ numquam, ne quidem intra septa (vt poterat, dum vetere custodiâ vteretur) est exspatiatus, satellitio egressum prohibente, nisi quando Firandum, deinde ad supplicium (vt infrâ referemus) abductus fuit. Res verò reliquæ, quæ custodiæ huic accessere, huiusmodi sunt, vt vix cogitatione, nedum breuibus verbis explicari queât. Ipsemet vnis litteris affirmat, *singulos corporis sensus proprijs fuisse doloribus conflictatos*. Magna certè inprimis erat loci angustia, vt neque procumbere nisi ægrè, neque ambulare vel ad passûs spatium possent. De hac ita ad P. Ioannem Baptistam Porro: *Angustè admodum habemur; neque enim quisquam plus habet spatij quàm duorum palmorum & trientis*. Animaduertendum quippe illud hoc loco moneo, fuisse, cùm hæc scriberet, captiuos octo & viginti, qui numerus deinde venit in tres supra triginta. Estque testatum tabulis, quæ probandæ Patris sanctitati scriptæ sunt, *nocte illos non potuisse sese extendere, ad ca-*

piendam quietem. Has tantas angustias illa quoque necessitas consequebatur, quòd nemo loco vllò subterfugere conspectum sodalium posset; sic, vt actionum vel minimarum cogerentur perpetui adesse testes, homines tam moribus patriaque diuersi, quàm charitate inter se vincti. Non leue profectò tormentum, tantoque naturâ suâ intolerabilius, quantò honestiùs ad ingenuam indolis liberalitatem educatus est animus patientis. Iam victus parcitas respondebat angustijs carceris, quippe, vt ipse epistolâ 18. Febr. anno 1621. datâ, ad quemdâ in Lusitaniâ Patrem scribit, *Eorum vita erat perpetuum ieiunium, adeoque asperum, vt satis cibi quidem semper suppeditaret ad arcendam mortem, sed numquam ad comprimendam famem: quæ illum res vnâ cum crebris inualetudinibus adeò extenuauerant, vt dubitaret sapiùs, an non subitâ aliquando morte per solam debilitatem defungeretur.* Omuræ Præfectus orizam, sale, ligna, haleculas falsas, certo numero eis admetiebatur. *Ordinaria epula* ( sic loquitur quibusdâ in literis) *sunt lances due orizæ frigida, aquâ purâ coctæ: præterea paropsis vna xiri, ( sorbitionis id genus est, herbis ingratissimis mixta ) tam amari, vt hauriri vix queat; adhuc exiguum radicis crude ac salse, aut par vnum halecularum aquâ calidâ aut frigidâ salutarum.* Alijs ad P. Matthaum

tharum Cobros Iaponiæ Prouincialem sic scribit: *Tanta nos vexat fames, ut nuper, cum satellites frustilla aliquot obtulissent panis malè ac sine fermento cocti, iamq; indurati; quisque nostrum perinde comederit, ac si Marsi panis delicia fuissent.* Intellexit tandem Gonrocuus, quantâ ciborum parcite extenuarentur, neque verò abesse longè, quin capti omnes inediâ necarentur. Misso igitur ad carcerem suo quodam Iasueymone, cum mandatis vt lautius in posterum haberentur. Is pactus est cum Structore annonæ ergastulariæ, vt singulis, in dies singulos, quantum æstimatum monetâ Romanâ conficeret summam octo Baioccorum. . . . At Structor ethnicus intentior lucro quàm officio, sibi scilicet lautius providebat, defraudato victu alieno; & nihil, aut certè exiguè, augebat mensam captiuorum: subministrabat namque in posterum pauxillum carnis, vel falsi piscis, & putrefacti, quæ vt illata fuerant, intacta referebantur, abstinentibus se captiuis. Contendebant quidem Nangasachenses Christiani res multas captis submittere, quæ subinde in custodiam penetrabant, cum aliquis è satellitio Christianus excubias ageret; sed plerumque tamen eæ res non perferiebantur. At magnus ille annonæ Structor, qui escam subministrat auibus, terramque conuestit floribus

H. 3 (cuius



(cuius illi amore in ediam tolerabant) hanc mensæ tenuitatem, cælestium consolationum copiâ liberalissimè compensauit. Ea certè Numinis munificentia fuit, vt numquam defecerint aut candidi Hostiarum panes, aut vini, candelarum, ceterarúmve rerum copia, quanta ad Sacra facienda esset opus, quibus operabatur quotidie Carolus, animique vires cælesti illo pabulo instaurabat, quoties valetudine non impediabatur. *Et per huius facultatis copiam*, inquit litteris ad P. Sebastianum Viera scriptis 20. Febr. anno 1620. *hoc ergastulum mihi paradisus esse videtur.* Quia verò hic carcer positus edito in colle, vim omnem excipiebat ventorum, nec aliter compactus erat, quàm palis inter se distantibus, magnam id scilicet vexationem conciliabat, seu æstate, seu hieme. Ac licet per æstatem, spirantibus vnde quaque ventis, molestia non nihil leniretur, feruentissimi tamen ardores (radijs pro solis cursu omni ex parte penetrantibus) ipseque numerus captiuorum, ad eò incommodabant, vt affirmarit Carolus, *diurnis nocturnisque se sudoribus maduisse.* Hieme autem id omnino reddebatur intolerabile, cum neque gelidus aër excludi, neque pluuia & imbres arceri, neque niues, quæ vento per omnem partem ingerebantur, intercipi possent. Tanto verò acerbior erat frigoris sensus, quanto grauior

gravior vestimentorum, quibus tegebantur, inopia, quorum nullam facultatem Nangasacho supportari satellites permittebant. Hac de re ita ad Patrem scribit, qui id temporis Iaponicam Prouinciam administrabat: *Assue- ro Reu. Vestrae neminem esse è nobis, qui, aestimato inferioris appetentiae sensu, non mallet viuus concremari quàm hunc carcerem ferre. Nam omnes à vestibus sumus penè nudi, neque vigiles permisere, vt denuò ad nos referrentur, quas sarcindas Nangasachi locaueramus, ablatæque etiam lodice, nihil passi sunt importari. Neque, quamuis in vertice collis obiecti ventis degamus, vel tegetem concessere, flatibus, imbribus, niuibúsve arcendis; planè vt immane sit frigus. Loci frigoribus affectus interiit Frater noster Ambrosius Fernandez, annos natus nouem & sexaginta, Caroli in custodiã comes, 7. Ianuarij anno 1620. qui paralyfi grauissimã correptus, ob copiam, vt aiebant, niuium, quæ sæpius per eos dies deciderant, duodecim horarum spatio (tantum enim tenuit temporis) adhibitis (quæ DEI singularis gratia) Sacramentorum omnium præfidijs, felicem spiritum eius manibus credidit, à quo laborum per annos quadraginta in Societate exhaustorum præmium, mercedemque expectabat incommoditatum, quas non minore patientiã alacritateque tolerarat anno*

& duobus supra vicenos diebus; cum aliud ferè per id tempus non spiraret, quàm ingens illud desiderium ardendi in exitiali rogo, aut moriendi in cruce, ad testandam Religionis veritatem, pro quâ mortuus esse negari non potest, qui per solam tractationis asperitatem in eâ custodiâ vitam amisit, in quâ vincus amore Christi tenebatur. Ne verò deesset suus quoque cruciatus oculis, noluere milites lumen in carcere per noctem accendi; vt in tenebris fuerit exigenda. Quâ in re, tanta vigilum extitit pertinacia, vt ne lucernulam quidem eâ nocte, quâ Ambrosium repentina vis morbi inuasit, Carolo concesserint, quantumvis obtestanti, ad olei sacri mysterium ægro, in supremâ illâ luctâ, impertiendum: in quâ necessitate tormentarium funem incenderunt. Non deficiebant quidem candelæ, quæ Sacro faciendo fuerant submissæ; at ne vigilibus proderent lumen (quod in vase abditum abscondebatur in hos vsus) maluerunt eam noctem in tenebris agere, quàm periculum adire carenti in posterum cælesti illo epulo Angelici panis, quo clam recreabantur. Prohibuere & in posterum satellites, vt cultellis forficibusque capti abstinerent: quâ re, ne damna ijs accerferent, qui id genus instrumenta in carcerem supportarant, capillos barbâsque (Eremicolarum instar) captiui promiserunt.

ferunt. Sed grauius omnibus hos pugiles vexauit continuus quidam foetor, cuius mentionem cum facit Carolus epistolâ quadam ad P. Ioannem Baptistam Porro, sic scribit: *Incitat me grauitas odoris, vt ad calum suspirarem.* Nascebatur hæc graueolentia ex multitudine hominum tam angusto loco clausorum; ex flatuum aërisque corruptione; ex præsentè cloacâ, in quam (quoties necesse erat) exonerare alium cogebantur; ex sudore corporum, quæ numquam siccabantur. cum nimirum vetaret miles aut recentibus linteis mutare obsoleta, aut lauare iam vsu inquinata: vt de Carolo speciatim scribatur, quod triennio toto neque indusium neque vestem commutarit. Hinc tanta pullulabat animalculorum sordiumque vis, vt morsibus aculeisque confixi Confessores, nullam vniquam caperent partem quietis. Atque vt experirentur viui, quod nullo doloris sensu à mortuis percipitur post vitam, à summo vertice ad imos vsque pedes omne genus vermibus, è corruptâ materiâ natis, erant cooperti: quæ materia (quoties pluebat) exundante latrinarum cloacâ, pauimentum custodia inundabat. Prorsus vt non iniuriâ Carolus verba illa pronuntiare posset, quæ simili in casu vsurpauit Iobus, cum sordidatus lamentaretur: *Nocte os meum perforatur doloribus, & qui me*

*comedunt, non dormiunt, in multitudine eorum consumitur vestimentum meum.* Tormenti genus haud paulò atrocius quàm primâ sui facie æstimari possit; aduersus cuius cruciatum non aliud Carolo medium suppeditabat, quàm patientiæ, viuxque in DEVM spei, à quo (vt ipse loquebatur) *Professionem impetrare sperabat in calo tam duri Nouitiatus, atque in quadriennali carcere exegerat veteranus tyro.* Et mirum sanè videri possit, quomodo vitam tot inter carceris vexationes optimus Pater tolerarit, aut quomodo tantis incommodis non succubuerit. Sed magnum illud Numen, in cuius manibus vitæ nostræ momenta, anni que mortalium versantur, superesse nimirum voluit tantis certaminibus incolumem, vt maiore victoriâ triumpharet; reddendo ei per interualla sanitatem (vt videbimus) frèquenter supra omnem spem, medellamque artis humanæ.

## C A P V T X V.

*Vita ab eo in carcere acta.*

**I**AM acerbitates incommodaque vidimus, quæ Carolus, dum captus fuit, in custodiâ superauit. Sed quoniam virtutis non merentur nomen, quæ necessitate tolerantur, nisi patientiæ spiritu animata, voluntatis nostræ cum